



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Ceadda Episc. 2. Martii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Mart. VITÆ SANCTORVM. 119.  
sui totius non ignorat auctorem: quid ergo ego, qui Deum  
meum teneo vitæ meæ non solum gratuum largitorem,  
sed insuper etiam copiosissimum Redemptorem, aeternum  
conservatorem? S.Bern.de dilig.Deo.

S. C E A D D A E P I S C . 2.Martii.

**M**Ortem ut ne timeas, time Lector: neque enim illi olim timent, qui nunc timent; id quod CEADDA Merciorum & Lindisfarnorum in Angliâ Episcopus manifestum faciet. Obiit ille anno post orbem restauratum Septuagesimo secundo supra sexcentesimum. Gremium mortuo MARIAE templum præbuit, ipse ægris asylon tumulum suum, cuius pulvis haustus morbidis quamplurimis saluti fuit. Cæterum solitus est, dum vixit, quoties vehementior cælo ventus insurgeret, humi se abjicere magnisque vocibus Misericordiam Dei implorare: jam cælo gravius succensente, & fulgura tonitruaque miscente, ad templum fugere & aram; neque ibi prius sibi à lacrimis temperare, quam iterum Sol rideret. Causam interrogatus, respondit, ex his veluti præludiis æstimare se illum supremum ac decretrium diem. Utique minus tunc hominem fulgurantes judicis oculos, & fatalem ab arcu sententiam detonantē laturum. Sed talis CEADDA nunquam magis serenum cælum quam moriens aspexit. Siquidem septem continuis diebus aspectabiles è cælo Angelos habuit, qui ad cæli gaudia invitarunt emeritum, utque aures faciles impenetrarent, ah! quali musicâ has demulserunt. Ultimò cum iisdem frater CEADDA adfuit, qui cum nuper adeò in cælum ivisset, viam scilicet nunc germano monstravit. Ex Bedâ His. Eccl. Gent. Engl.

Time,

Time, ó homo, quòd in terribili Iudicio ei præsentandus es, in cuius manus horrendum est incidere, & ex examinante, quem nihil latet. Si inventa fuerit in te iniquitas, alienandus es ab universitate quietis & gloriae, & segregandus à numero Beatorum. S.Bernard. serm.de Noviss.

## S. WINWALOCUS C. 3. Martii.

**E**X regio sanguine Anglorum se ortum **WINWALOCVS** vel ex hoc ostendit, quòd puerulus jam omnia præ se despexit, id deum regium ratus non terræ particulam aliquam, sed omnem omnino pedibus mundum subdere. Sed religionem cogitanti obstitit pater, magnum apud filios nomen, & pietatis hodie etiam remora. Disjecit tamen etiam hoc obstaculum fulmen, quod deprehensum in campis patrē tam diu humili affixit, dum filium cælo, & religioni non invideret. In hanc receptus magnis statim ostentis cœpit eminere. Illud, puto, multis non lectu minus, quam scriptū nobis jucundum erit. Sororcula **WINWALOCI** anserem domi habebat familiarem. Huic dum incautius (ut ferè fit) colludit, ecce in vultum delicias facientis hic involat, ferratoque osculo oculum exsculpit deglutitque, heu! nimis delicatum nequam stomacho cibum. Lusca puella alterum etiam oculum plorando videbatur amissa, cùm cælestis Alitis monitu **WINWALOCVS** supervenit, prædonem oculi anserem medium secat, erutumque oculum loco suo reponit, ipsum etiam anserem ad gregem suum amittit, nimis miti in improbum animal supplicio. Sed quid anseres reprehendimus? libentius audiemur **WINWALOCVM** laudare, qui centies & nocte, & die

in